



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

CXV. Stephanus VI. Anno Christi 896. Lamberti 3. Leonis Sapientis 11.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

tolerandos, quam Ecclesiam Schismate  
 conscindendam, ut legitimi Pontifices  
 novis comitiis, consuetis ritibus sint ele-  
 cti. Hac ut dicamus, illud planè necessa-  
 rio cogit, quòd universa Ecclesia Catho-  
 lica eos ut legitimos Pontifices coluit, iis-  
 que obedivit, atque ut Christi Vicarios,  
 Petrique successores cognovit, ac cultu  
 germano Pontifice digno eosdem fre-  
 quentavit: quod nequaquam factum fu-  
 isset, nisi de facta postea electione consti-  
 tisset.

Oldoinus in Nova Additione ad Ciaconium  
 tom. 1. pag. 680. *Multis tamen Bonifa-  
 cium hunc inter Romanos Pontifices nu-  
 merant, & Bonifacium VI. vocant, ut  
 Ciaconius supra, Parvinius in Epit. Rom.  
 Pont. S. Antoninus, Joannes Bisdomini  
 in Chronicis Senarum, & alii: nonnulli  
 verò Baronii sententia adhaerentes, illum  
 ex Pontificum albo expungunt, cum For-  
 moso populi tantum violentiâ successerit.*

CXV.

STEPHANUS VI.

ANNO CHRISTI 896.

LAMBERTI 3. LEONIS  
SAPIENTIS II.FORMOSO defuncto is, qui post necem  
Formosi Papa constitutus est,

li 3

ex-

Bar. an. 897. §. 2.  
 Pag. an. 896. §. 9.  
 & 897. §. 1.

*expellitur, & Stephanus VI. (1) Jo-*  
*annis Presbyteri filius, Romanus,*  
*ante diem vicesimum Augusti anno*  
*895. Papa per Adelbertum (Tusciae*  
*Marchionem potentissimum) consti-*  
*tuitur. (2) Quo constituto, ut impius*  
*doctrinarumque sanctorum inscius For-*  
*mosum è sepulchro extrahi, atque in Se-*  
*dem Romani Pontificatus Sacerdotalibus*  
*indumentis indutum collocari precepit.*  
*Cui & ait: Cùm Portuensis esses*  
*Episcopus, cur ambitionis spiritu*  
*Romanam universalem Sedem usur-*  
*pâsti? His expletis, sacris exutum*  
*vestimentis, digitisque tribus abscissis,*  
*in Tiberim jactari precepit, (3) cum*  
*etisque, quos ipse ordinaverat, gradus*  
*proprio depositos iterum ordinavit. (4)*  
*Ita furore percitus homo non quod iure*  
*litteret, sed quod exastuans rabies iure*  
*fit, implevit: non enim fuit error in*  
*fide, sed violenta tyrannis in facto. (5)*  
*Quante autem auctoritatis quantaque*  
*religionis Papa Formosus fuerit, hinc*  
*colligere possumus, quoniam dum à pisci-*  
*toribus postmodum esset inventus, atque*  
*ad beati Petri Apostolorum Principis Ec-*  
*clesiam deportatus, Sanctorum quadam*  
*imagines hunc in loculo positum venera-*  
*bili*

biliter salutârunt. Hoc namque à reli-  
giosissimis Rom. Urbis persapè audovi.

(6) Anno 897. Stephanus Apostolica Bar. an.  
Sedis inuasor, & ipse pulsus detruditur 900. §. 6.  
in carcerem, ubi pariter strangulatur, Pag. an.  
(7) cùm annum, mensëmque Pontifi- 897. §. 6.  
catum obtinisset.

### ANNOTATIONES.

(1) Luitprandus memoriâ lapsus pro Ste-  
phano ponit Sergium, & huic adscribit,  
quod factum per Stephanum liquet; ut  
docet Baronius ad an. 897. §. 2. & 3. quo-  
cum sentit Pagius ad an. eund. §. 2.

(2) Baronius ad an. 897. §. 4. *En illa  
infelicissima Ecclesia Romana tempora, at-  
que omnium luctuosissima, quibus ipsam  
contigit domestico bello exagitari, atque  
persecutione vexari: qua nunc coepta  
multo tempore, maximo damno eandem  
Ecclesiam affecerunt; illata ipsa per A-  
delbertos Marchiones potentissimos Tusciae  
Principes audacissimos: Tantæ quippe  
Adelbertus erat potentia, ut inter omnes  
Italiae Principes solus ipse cognomento di-  
ceretur Dives.* Luitprandus lib. 1. cap. 10.

Ceterùm, subdit Baronius, *etsi inter-  
dum deforme valdè turpèque contigerit  
apponi Ecclesiae Caput: tolerandum ta-  
men suis ipsi, quod non penitus amens*

*fit inventum, sed Fide Catholica sibi  
 constans, DEI vero permissione supra  
 cetera corporis membra proVectum, non  
 sine causa vel ratione, sed magno sui ju-  
 dicii libramento: etenim pondus & li-  
 tera judicium Domini sunt: quae etsi inscri-  
 ptabilia pradicentur, per transennam to-  
 men mortalibus intuentibus fiant aliqua  
 saltem ex parte perspicua. Ut enim  
 Deus significaret, eandem suam Ecclie-  
 siam nequaquam humanum esse signum-  
 tum, sed plane divinum inventum: opor-  
 tuit ostendisse, eam nequaquam pravorum  
 Antistitum opera prodi posse, & ad ni-  
 hilum penitus redigi, sicut de aliis di-  
 versarum gentium Regnis, & bene sta-  
 tutis Rebus publicis factum constat: quae  
 tamdiu constitisse leguntur, quamdiu  
 fuerunt per viros prudentes & virtute pra-  
 ditos administrata: periisse vero penitus,  
 ubi viros scelestis tradita sunt earum  
 gubernacula moderanda. Vide annotat.  
 1. ad Leonem V. & ad Christophorum.*

(3) Tantum facinus narranti Luitprando  
 fidem derogat Panvinius in annotat. ad  
 Platinam pag. 112. Immerito. Siquidem  
 invenitur apud ejusdem aetatis Scriptorem  
 Auxilium lib. 2. De Ordinationibus For-  
 mosi cap. 30. tom. 17. Bibl. Patr. pag. 21.  
 apud Joannem IX. cap. 1. Concilii Romani  
 anno 904. celebrati tom. 9. Conc. Lab.  
 pag.

pag. 507. & apud Hermannum Contra-  
ctum in Chron. ad an. 896. in Antiquis  
Lectonibus Canitii tom. 3. pag. 256.

(4) Luitprandus Lib. 1. cap. 8. apud Du-  
chelium tom. 3. pag. 571.

Ludovicus Du Meuil. tom. 3. Doctri-  
na, & Disciplinæ Ecclesiæ lib. 42. §. 1.  
*Sigebertus in Chronico eos rursus conse-  
crasse negat, & de ea re nihil dicit Ro-  
mana Synodus, qua sub Joanne IX. alia  
Stephani gesta refert & damnat, imò  
dicit, eos in proprium gradum à Joanne  
IX. fuisse reductos; ac proinde à Step-  
hano rursus non fuere consecrati: alioquin  
ejus successor non eos restitisset.* Vide  
annotat. 2. ad Theodorum II. & 3. ad Ste-  
phanum III. Gasparem item Jueninum in  
Commentario Historico & Dogmatico *De  
Sacramentis* dissertat. 8. de Sacramento  
Ordinis, quæst. 6. cap. 2. & Honoratum  
Tournely quæst. 5. de Sacramento Ordinis  
art. 1. disputantes contra Joan. Morinum,  
qui in Comment. *De sacris Ordinationi-  
bus* part. 3. exercitat. 5. cap. 3. affirmat,  
Ordinibus sacris initiatos a Formoso iterum  
fuisse à Stephano VI. consecratos.

(5) Baronius ad an. 897. §. 2. qui §. 6.  
adjicit: *Stephanum non auderem inter  
Romanos Pontifices numerare, nisi id  
factum à majoribus invenissem, utpote  
tanto indignum nomine, qui primus &  
solus nefando & inaudito sacrilegio Pe-*

*eri sedem adeò deturpavit. Vide annotat.  
2. ad Sergium III.*

(6) Hæc memoratus Luitprandus locò  
citato.

(7) Baronius ad an. 900. §. 6. ubi addit:  
*Ita facinorosus homo, quippe ut fur &  
latro ingressus est in ovile ovium, laqueo  
vitam adeò infami exitu, vindice Dei,  
clausit. Ita quidem omnia Romæ tam  
sacra, quam profana factionibus misce-  
bantur, ut penes illam partem esset pro-  
motio ad Apostolicam Sedem Romani  
Pontificis, quæ potentior appareret, ut  
modo Romanorum proceres, modo He-  
truria Principes intruderet seculari po-  
tentiâ quem vellet, & deiceret quem  
posset Romanum Pontificem à contraria  
factione promotum. Quæ toto hoc sermo  
seculo sunt adbitata, quousque Germa-  
nia Imperatores Ottones mediis interco-  
sere utrique parti contrarii, arrogantes  
licet & ipsi sibi pariter Papa electio-  
nem, atque electi dejectionem.*

